



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

52. Quid si in processu vel forma inquisitionis interueniat defectus substantialis, & reus non opponat Iudici talem defectum, sed veritatem ipso non obstante fateatur? Et quid de Iudice per justas ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

na interdicti, & aliis pœnis.

51. Ultima difficultas est de Judice, an quando contra jus aliquid novit à reo, vel à teste, possit ex eo procedere? v. g. Judex à reo vel teste extorquet, per metum gravem, aut etiam levem, criminis confessionem: item promittit reo fictè criminis impunitatem, si delictum fateatur: potestne ex tali confessione reum punire? Varii sunt dicendi modi. *Cajet: opus: 17. respons: resp: 5. v. in secundo*: asserit non posse ex eo juridicè Judicem procedere, si alià viâ sufficientem notitiam non habet. Alii verò alias ponunt limitationes. *SIT Conclusio prima*, quando Judex ipse extorsit metu gravi criminis manifestationem, quamvis reus manifestet testes per quos possit convinci, non potest Judex procedere. Ratio, quia cum causa fuerit injusta, quidquid ex ea sequitur annullari debet *L. non dubium C. de leg: L. fin: ff de constit: pecun: Cajet: Navar: Sotus: lib: de secreto. membr: 3. quest: 1.* qui tamen in casu quo Judex metum solùm levem incuteret per minas tormentorum, & hujusmodi notat, non esse adeò certum, quod ex tali

confessione non posset procedere: quia
 licet Judex aliquam inferret injuriam, ta-
 men non tam censetur extorsisse, quam
 reus liberè pro palasse: sed de hoc statim
 Concl. 2. Deindè dicit quod si ex non pu-
 nitione criminis sic extorti, grave subori-
 retur scandalum, ut si crimen esset fædifi-
 simum, & per talem rei confessionem es-
 set jam publicatum & certissimum in toto
 populo: posset Judex punire ad sedan-
 dum scandalum, quamvis id ipsum valdè
 dubitanter affirmet. Infert præterea *An-
 toninus Gomez tom. 3. var. res. cap. 13. n. 25.*
 contra Bald. 1. quod si reus positus est in
 tortura: non præcedentibus legitimis in-
 diciis, & in tortura confessus est delictum,
 licet postea elapso die naturali perseve-
 ret, & confessionem ratificet, non posse
 condemnari, quia tortura fuit injusta.
 Secundò si reus non potest torqueri pri-
 vilegio personæ, ut quia est in dignitate
 positus, aut ætatis minoris, vel senectutis,
 confessionem similiter ratificatam esse
 nullam. idemque esse si semel tortus po-
 stea iterum injustè torqueatur: aut à tor-
 tura apellet, quia tortura semper injusta
 fuit.

fuit. *Altera conclusio quando* Judex etiam absque metu gravi, sed per injustas interrogationes extorsit confessionem à Reo, qui injustitiam interrogationis ignorabat, tunc probabilius est non posse procedere ex tali cognitione. Ratio, quia injuriam faciens, eam corrigere, non autem continuare tenetur: quod non potest præstare Judex, nisi cesset à persecutione talis causæ: & confirmatur à pari, quia de extracto ab Ecclesia per injuriam idem fatentur DD. communiter. *Dixi qui injustitiam ignoravit*, quia si reus sciens confessionem esse injustam & indebitam, & potens retractare non retractet, probabilius est ex tali confessione posse Judicem procedere & punire. Ratio, quia ipse reus in hoc casu videtur cedere juri suo, & metus levis pro nullo reputandus est: & facit pro hac conclusione, quod quando in processu vel forma inquisitionis intercessit aliquis defectus in substantialibus, & reus non opponat Judici talem defectum, sed ipso non obstante fatetur veritatem, potest tunc Judex ex tali confessione procedere & punire reum, ut colligitur

gitur ex *cap. de confess. in 6.* & docet Sylvest. 1. *inquisitionum. q. 3. in fine.* NOTAN. tamen. Si Judex per iniquas interrogaciones extorqueat crimen rei à testibus, etiam scientibus injustitiam & opponere potentibus, non posse eum ex tali cognitione procedere, quia in hoc casu intulit injuriam ipse Judex reo, nec testes potuerunt cedere juri alieno, sicut reus proprio: ita Recētiore, quos referunt citati DD. *conclus. 1.* Tertia Conclusio, si injustitia non se teneat ex parte Judicis judicantis, sed ex parte alterius, tunc ex tali cognitione potest Judex procedere: ut si tertius quis criminis extorqueret à Petro criminis confessionem, & postea eum deferret ad iudicium, posset tunc Judex procedere. Ratio, quia in hoc casu non ipse Judex infert injuriam: & licet alii revelando hujusmodi crimen peccaverint contra justitiam, non tamen eorum iniquitas nocere debet justitiæ & bono communi, ad quod jam pertinet notum crimen punire. Deinde quia si opus esset, ut prima criminis manifestatio sive injuria fieret ad hoc, ut Judices procederent, ferè nulla crimina punirent.

nirentur. *Sotus supra*: qui tamen observat conclusionem hanc procedere solum de persona privata: undè aliud videtur sentire, quando aliquis Judex extorqueret veritatem, tunc enim videtur sentire, quod alius Judex ex illa cognitione non posset procedere. Sed *Navar: cap. inter verba corol: 53. n. 596.* absolutè docet, quod ille Judex potest procedere ex veritate ab alio Judice injustè extorta: quia ille, qui procedit, non fecit injustitiam. *Quarta conclusio* Judex fictâ promissione impunitatis confessionem criminis eliciens, Reum condemnare non potest, si reus confessionem per mendacium, simulationem, dolumvè Judicis, extortam postea retractet: ita *Covar: 1. var: resol: cap. 2. n. 16. Delvius disq: mag: lib. 5. sec: 10. concl: 2. & 3.* Colligitur ex dictis *concl: 2.* & probatur 1. quia hæc confessio extorta est à Judice per dolum, ergò ex seipsa non est sufficiens ad condemnationem *cap. sanè de renunc: 2.* probatur ex reg. generali, quâ dicitur absolutè fidem servandam esse, nullumq; sub fide publica fallendum *L. 1. ff. de pactis L. 1. ff. de constit. pecun:*